Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 829
Quelle:
Copyright:

beatitudo et sufficientia beata! Ceterum disjecta sunt haec membra *Meditationum* et *Orationum Anselmi Cantuar.* ut liquet comparanti cum edit. *Paris.* 1721. a *col.* 102.

III. *fol.* 122. *Incipiunt XII. gradus abusionis beati cypriani episcopi.* Ita: *Primus gradus abusionis est si sine operibus sapiens et predicator fuerit* &c. Vide *Cod.* CXCIII. et alios in *Indice.* Nec *Cyprianus* nec *Augustinus* hunc foetum suum velint.

IV. *fol.* 138. p. 2. *Incipiunt XII. fructus sacramenti.* Initium: *Legitur in apocalipsi. Ex vtraque parte fluminis lignum vite afferens fructus duodecim* &c. Simile quid legitur inter *Opuscula Thomae Aquin. n.* LVIII. T. 17. edit. *Rom.* 1570. f. sed noster in diversum abit. Testibus utitur: *Ambrosio, Gregorio, Augustino, Hieronymo, Johanne Chrys. Hilario, Paschasio* et *Rabano*, unde de aetate conjicies. Ad latus Tituli notatur: *Multum incorrecte.* Et ita est.

V. *fol.* 151. *Tractatus de symonia. approbatus per doctores alme universitatis colonien. compositus per venerabilem fratrem dyonisium in carthusia conuentus domus ruremundensis.* Est hic *Dionysius Rickelius a Leuwis* vir Deo plenus, ad quem migravit a. 1471. Tractatus ejus praesens incipit: *Gratis accepistis, gratis date. Math.* 10. *Filius dei dominus et saluator cuius tanta est caritas* &c. et a definitione Simoniae progreditur per XVIII. *Articulos*, illam maxime Quaestionem ventilans: An pro ingressu in religiosam Familiam aliquid exigi licite possit. Video tamen apud *Trithemium* et *Petrejum*, alterum huic *Tractatum* a *Dionysio* submissum fuisse tali initio: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Neutrum impressum putem separatim; sed extant in Collectione *Rickeliana* curata a *Ger. Hamontano Colon.* 1559. f.

VI. *fol.* 175. *Incipit liber plantacionum.*

Palladij librum breuiatum per godefridum
Accipe curta volens rustica rura colens.
Palladium tantum non hic sequor aut galienum
Pingitur et cespes floribus iste meis.
Ordine sub certo nullo preeunte reperto
Scita prius relego. munus et hoc tibi do.

Galfridus, *Gaufredus*, quin per errorem, ut puto, etiam *Gualterus Anglus* e *Normannis* Poeta Sec. XIII. non inceleber fuit, cognomine *de Vino Salvo*, *Vinesauf* seu *Vinesalf*, quod ei cognomen adhaesisse ab Opusculo, quo *Vinorum* etiam *curam* tradidisse fertur, est *Job. Pitsei* conjectura. Quo major est Poematum ejus apud *Leyserum*, *Fabricium*, *Tannerum* &c. celebritas, eo parcior no-